

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XXXI. Patientia eorum, qui morbos, tamquam diuinum beneficium, amauerunt, & desiderauerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

*Crucifixi effigies, que in studiorum mensa consistebat, sedentem; qua parieti affixa, ambulantem; qua in oratorio, supplicantem; duplex, qua in lecto, ad pedes altera, alterae lectice tholo jacenti imminens, ne ipsa quies à Cruce vacaret decumbentem commonefaciebat. Ita omni loco, quoniam tempore, Christo suo commoriebatur.*

XVIII.  
Ut plura de robustissima eius patientia non proferam, illud tamen preterire non possum, quod numeris omnibus eam legem compleuerit, quam S. P. Iguatius egris suis prescripsit: Qui agrotat, humilitatem & patientiam suam praeferendo, non minorem edificationem dum morbo laborat. ipsi, qui ipsum inuisent, & cum eo versabuntur & agent, quam dum valebat corpore, ad maiorem DEI gloriam prestare curer, verbis pisi, & ad edificationem facientibus, utendo, qua ostendat agitudinem acceptari, ut donum de manu Creatoris ac Domini nostri; quandoquidem non minus donum est, quam sanitas. Et saepe etiam maius, quia per morbos offertur occasio gratiae diuinæ augendæ, itemque patientiae exercendæ ac docendæ, nouorumque meritorum & graduum gloriae adipiscendorum; nec non obediencia medicis praestandæ; itemque voluntatis suæ cum diuina confirmandæ, & actuum heroicorum amoris DEI eliciendorum. Quæ quia non ignorauit Lessius, tot miserias, & dolores, tamquam donum de manu Creatoris ac Domini nostri acceptauit, qui simul cum donis suis accedens facit, ut, sicut dona crescunt, ita quoque crescat unio ipsa cum Deo. Sic ergo unitus Lessius, idem voluit, idem noluit, quod Deus; maior patientia, quam scientia effectus, ut in æternum cum patientibus dicere posset: Letati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus Psal. 89. 45 & experti sumus mala; recepimus enim mala in vita nostra, cum Lazaro, ut in æterna vita vera æternaque bona recipiamus.

CAPVT XXXI.

*Patientia eorum, qui morbos, tamquam diuinum beneficium, amauerunt, & desiderauerunt.*

**N**emo alterum magis amat, quam qui eius causa nihil non aduersi sustinere cupit. Ardorem hunc suum expressit Petrus, cum diceret: Domine tecum paratus sum Luc. 22. 23. Et in

¶ in carcerem, ¶ in mortem ire. Idem dixerunt, qui, castitatis amore, ægrotare maluerunt, quod de S. Gasimiro, de S. Petronilla, deque alijs dicitur. Noni Sodalem meum religiosum, ait Iulius Nigrinus, cui Medicus extraordinarius Author erat, ut morbi cuiusdam depellendi causa, castitatem violaret. Stetit, ut debuit, iniulus: constanterq; tam fædum non remedium, sed venenum repudiavit; imitatione Iacobi Cardinalis adolescentis, Lusitania rege nati; qui Anno 1459. à liminibus Apostolorum in patriam rediens Florentia morbo retentus est. Ut ex eo conualesceret, medici parùm probitas, de pœnit. violationem castitatis suaserunt, sed non persuaserunt. Maluit enim mori, quam fodari; ¶ qui cognomento Rosa dicebatur, ob suamissimorū ut opinor, mores: meritus est in calo candidorum coronans liliorum. Nimirum eiuscmodi Medici, valetudinis recuperandæ gratia, pro remedijs grauissima peccata suadentes, causam dederunt edicto grauissimo Innocentij III. in generali Concilio, quod sic habet: Ceterum, cum anima sit multè pretiosior corpore, sub intermissione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute, aliquid agroto snadeat, quod in periculum anima convertatur. Anima enim plus est, quam corpus, absurdum ergo est, animam perdi, ut corpus seruetur; & longè fatiū est membra morbis, quam mentem peccatis grauari. Ut autem castitatis, ita etiam aliarum virtutum causâ præstat corporis dolores pati. Itaque inuenti sunt, qui cum, sine alio se contaminandi periculo, sani esse possent; tamen meriti maioris causa, morbos non solùm æquanimiter tolerauerunt à diuina prouidentia illatos, sed etiam à Deo poposcerunt, ut inferrentur.

II.  
Ferdinand.  
Meltio. in  
vita Marie  
Victoriae I, 1.  
cap. 9.

Recens historia edita est, de quadam Maria Victoriae sorore Barbara, quæ septemdecim annis, in monasterio, nihil ferè aliud cogitauit, quam de amore Christi, & amore pariendi aliquid ob Christum. Quamvis enim naturæ eam debilem ac submorbidam fecerat, identidem tamen, ex ardenti desiderio partiendi, Deum precari non desistit, donec tandem, duobus ante mortem eius annis, in peculiaris gratiæ argumentum, morbis grauissimis eam lecto affixit. Quam gratiam eo animo acceptauit, vt non solùm tolerantissimè dolores omnes perferret, sed etiam, vt ne gerneret quidem, ad morbi vim alijs quiritando expli-

explicandum; immò ut nullum vñquam rogaret, qui precibus à Deo ipso sanitatem impetraret. Quin eò perfectionem inten-  
dit, vt inter morbi tormenta, semper quieta, immò & lāta men-  
te esset. Numiniq[ue] continuò, tamquam pro maximo benefi-  
cio, gratias diceret. Egregium omnibus, in morbi æstu, lamen-  
tantibus documentum. Non enim lamentarentur, sed gratias  
cancerent, si morbos, inter gratias numerarent. Barbaræ pati-  
enciam sibi probari, ostendit Christus, dum ei viuenti ostendit  
gloriam beatorum, ac iater beatos, se quoque ipsum: quo tem-  
pore nomen Barbaræ in nomen *Dilecta* illi commutauit; eiusque  
pectus tam vehementi amoris flamma Deumque videndi deside-  
rio impleuit; vt, cùm dissolui & cum Christo esse speraret, non solùm Philip. 1. 23;  
incolatum suum prolo. ratum doleret, sed etiam, vt vna illi hora Psal. 119. 5.  
centum annorum tempus esse videretur; &, cùm mors instaret,  
Ambrosianum hymnum, decantari, *Deumq[ue] laudari*, ac verba  
illa: *Omnibus diebus, benedicimus tibi, perpetim repeti jubere*; Idem lib. 2.  
quibus etiam in verbis beatum spiritum exhalauit. cap. 8.

Cuius matri, Mariæ Victoriae etiam ipsi, vt merendi copia  
maior esset, diuina bonitas varios immisit morbos. Iam antè,  
quā Mondo nuntium remitteret, multis fuerat infirmitatibus  
tentata; in Religiosum autem statum ingressa, duobus morbis  
oppugnata, itaque miserè confecta erat, vt eos, per omnem re-  
liquam vitam persentiret. Septem annis, quibus cœnobio præ-  
fuit, nullo ferè temporis momento à capitib[us] & stomachi dolo-  
re libera extitit. His s[ecundu]s accessit pectoris, lateris, & humero-  
rum cruciatus; &, vt morbi in eam coniurasse viderentur, etiam  
febris in illam insiliit, nocturno præsertim tempore. Itaq[ue]; qualis  
morbi in excubijs essent, ita jam hic, jam ille in eam vim suam  
exserebat; jamque vnum, jamque alterum membrum, aut pars  
corporis, per vices patiebatur. Ob quam caussam medici dice-  
bant, diuinis illam, non naturæ viribus, nec sine manifesto  
miraculo, vixisse. Super hæc molestus corpusculum eius sudor,  
ac tandem quotidianus vehementer fatigavit. In quibus tamen  
omnibus malis, animo quieto & lato fuit, visaque est temper-  
tantè hilarior, quantò magis morbi scuiebant. Quin, loco eu-  
latuum & querelarum, in pia suspiria, & Dei alloquia suauissi-  
mè

## III.

mē erumpebat; & amore sponsi sui IESVS ita semper inardescerat, vt febris ad hoc solum in illa flagrare videretur, ne diuini amoris flamma minus arderet, sed memoria Passionis Christi, in illa, fortius excitaretur. Maximi doloris indicium erat, si cum suspirio dixisset: IESVS MARIA, aut si alium sanctum nominalset; vel si dixisset: Mi Domine, gratias tibi ago, quia dignaris mihi occasionem dare patienti. Sæpe etiam in suaves hymnos, & pias, de Christo suo sposo, cantilenas grauissimos dolores effundebat. Hac de causa reliquæ illius sorores certatim cupiebant ei ægrotanti assistere, vt ab ea disserent, DEVVM inter aduersam amare & prædicare; nec molestiæ, illi præsentes, sed cœlesti quadam consolatione afficiebantur, erudiebanturq; ad similia, simili patientiæ, toleranda.

## IV.

Laudatur celebraturque valde fortitudo Attilij Reguli, quod, cum tormenta effugere potuisset, sponte tamen, pro patriæ salute ad hostes redierit crucianus. Enimerò non solum exquisita illius tormenta, sed etiam modum suadendi, vt ad tormenta redire permetteretur, ex Tuditani libris, Gellius referens

Gellius li. 6. ait: Regulum captum, ad ea, quo in senatu Roma dixit, suadens ne Noct. cap. 4. captiuicu[m] Carthaginensibus permutarentur, id quoq; addidisse; Venenum sibi Carthaginenses dedisse, non presentaneum, sed eiusmodi,

quod mortem in diem preferret, eo consilio, vt vineret quidem tantisper, quoad fieret permutatio, post autem grassante sensim venenocor tabesceret. Eudem Regulum Tubero, in historijs, reduisse Carthaginem, nouisq; exemplorum modis excruciatum à Poenis dicit. In atras, inquit, & profundas tenebras eum claudebant: ac diu post, ubi erat visus sol ardenter, repente educebant, & aduersus ielus solis oppositum continebant, atq; intendere in calum oculos cogebant, palpebras quoq; eius, ne conniuere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. Tuditanius autem somno dia prohibitus, atq; ita vita priuatum refert,

Val. Max. l. 9. Valerius ait: Carthaginenses Attilium Regulum palpebris resellis, cap. 2. machine, in qua undiq; praecuti stimuli eminebant, inclusum, vigilantia pariter, & continuo tractu doloris necauerunt. Tormentum genu haud dignum passo, auctoribus dignissimum. Sanè, quia virum egregium, & ad supplicia, pro patria, sponte recurrentem, indignis modis, mactauerunt, quem tantò maior gloria est secuta,

quia

quia non ab hostibus retractus, sed ad eos ultrò regressus, se sc̄ aculeis & barbaræ crudelitati objecit. Longè verò maiore gloria digni sunt, qui nullo veneno lento mortem iam habentes intra viscera, sed sani, vegeti; non pro patria terrena, sed cælesti, & ut virtutum exercendarum haberent occasionem, non ut Attilio Regulo, sed ut Regi sæculorum Christo conformes fierent, morbos pati atrocissimos voluerunt.

Magna est, in ipsis morbis, gaudendi causa, solarium ingens, nancisci campum serendi in lachrymis, vnde aliquando manipulos cum exultatione reportes. Si enim non est, quod morborum patientia diluas; est tamen quod ad DEI gloriam feras. Neque enim omnes dolores in pœnam peccatorum inferuntur. Nuntiabant sorores Lazari Christo, fratrem suum infirmari, audiens autem IESVS dixit eis: *Infirmitas hec non est ad mortem, sed pro gloria DEI, ut glorificetur Filius DEI per eam.* Quocirca licet subinde culpas habeant iusti, quæ non sint pro merita tantos morbos ac cruciatus, sunt tamen illis morbis alij fines optimi. Vnde & Job ait: *Vt in am appendenter peccata mea, quibus irans merui: & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris, hec granior appareres.* Inter quos fines vident Dei servigloriam Dei esse, immò & suam. Pependit Christus in cruce, p̄penderunt & latrones: ille innocens, isti rei. Multò vtique præstantius est, innocentem, quām reum pependisse. Quare etiam alijs innocentibus est gloriosum, si morbi sui cruce in humeros suscepit, Christum innocentem imitentur; aut etiam illustrissima Martyrum exempla, quibus cruciatus sui, non ob illorum peccata, sed ut fidei, & charitatis suæ erga Deum testimonium redderent, inferebantur. Censemur autem quoddam martyrij genus, morbos sine culpa, sed nō sine patientia tolerare, ut Deus non minus ab ægrotis, quām sanis glorificetur. Iuit Regulus ad Carthaginenses, quia hoc non solùm vtile, verūm etiam glorisum erat Romanis, ut ille pro patria sua, vndique præacutis stimulis compungeretur. Sancti à nobis commemorati, morborum puncturas pati optauerunt, non solùm pro patria sua cælesti, sed etiam ut illi honor accederet, cuius amore paterentur. Est enim magnus amor, si Dgo homines seruant, non minus in

Sf

morbis

morbis, quām si eis sanitatem largiretur. Immō adhuc se le de-  
mittunt atque indignos aestimant, vt possint esse diuinæ gloria  
materia & argumentum. Quis ego sum, aiunt, qui possim Deum  
etiam infirmitate mea colere? quis, vt diuinus honor mei cauſa  
crescat? ægrotēm, mi IESV, patiarque & capitisi, & lateris do-  
lores, modò hoc ad Nominis tui gloriam vergat.

## VI.

Anton. Ba-  
lingh. 31.  
Octobr. ex  
libello Leo-  
dij impresso,

In horum classe reponendus est Alphonsus Rodericus So-  
cietatis nostræ laicus, qui anno Christi 1617. ex hac vita ad Sal-  
uatorem suum sanctissimè migravit, adeò regularum obseruant,  
vt diceret, se ne folium quidem ex horti arbore decerptum,  
sine Superiorum permisso, etiam si tota inferorum potestas, omni-  
vi sua ei mortem machinaretur. Huic Dvgs reuelauit viuo, nul-  
lum ei, post hanc vitam, Purgatorium superfuturum. Qua reue-  
latione adeò non superbiuit, vt inde tantò se le magis demitte-  
ret, seque peccatorem maximum, immò canem mortuum, vla-  
ceribus & tabo ac sanie plenum, in via jacentem reputaret. Ne  
quis ergo nesciat, cur hic Alphonsus, post mortem, quod rarum  
est, purgantes flamas euaserit; Purgatorium, in hac vita ha-  
buit. Siquidem, præter alias assiduas variisque preces, identi-  
dem Devm, & Deiparam ardentissimis precibus obsecrauit, vt  
sibi, in præsenti vita, crucis doloresque immitterent, quibus vel  
pro noxis satisfaceret, vel Christi patientis vestigijs insistens,  
Conditorem suum, cruciatum tolerantiæ honoraret. Auditæ  
funt preces. Vehemens illum morbus inqualit, qui eum, mensi-  
bus duodecim, miseris modis discruciauit. Sed videbatur nihilo  
minus dolor ille nimis exiguis. Petijt igitur, à vertice capitis, vs-  
que ad plantam pedis, per omnia membra, dolores acutissimos  
sustinere. Mira sitis patienti. Exauditus est Rodericus, etiam  
hæc petens. Et quamvis calculo tortore, cum ingenti cruciatu  
laceraretur, ardentissimaque febri astuaret, perque tres integros  
menses vni incumbere lateri cogeretur; tamen identidem exclau-  
mavit. O IESV plus; plus o IESV; plus o Maria; o Maria, impeta  
mibi, ut plus patiar.

## VII.

Ad hoc rarum & admirabile desiderium, quid eum impu-  
lis credimus? Fides illum docuerat, duplex esse Purgatorium,  
vnum in hac vita, per morbos, & aduersa, quæ hominibus acci-  
dunt:

dunt: alterum in altera vita, in quo quidem poena infligitur, genito illo impatiencie metu, aut periculo nouae culpæ; tamen etiam absque merito & gratiae augmento, vel spe, ad maiorem, ob patientiam & toleratos acerbissimos dolores, gloriam progradienti. Contrà huius vitæ Purgatorium, morbi, & quæcumq; rerū aduersorum ærumnæ, habent quidē periculum impatiencie aliarumq; culparum, quæ in huiusmodi calamitatibus irrepere, seq; admiscere solent; attamen possunt cū diuino auxilio euitari; offerturque magna occasio merendi, impetrandi, satisfaciendi. Cumq; incomparabiliter maius sit supplicium, quod in altero mundo infertur, quam id, quod etiam in dirissimis morbis mortales patientur, hoc optabilius est. Exiguus etiam dolor in morbo, brevi tempore, plus exsoluit de poenis debitiss, quam ingenis & diuturnus, in purgantibus flammis cruciatus; adeò, ut ardor febrilis vnius diei in haec vita, possit exsoluere vnius mensis, aut etiam anni ignem in altero illo Purgatorio. Quia non tantum soluit perferendo, & satispatiendo, verum etiam satisfaciendo, & heroicis charitatis, patientie, spei aliarumque virtutum actibus, augmentum charitatis promerendo. Offert squidem Deo quidquid patitur, ex amore Dei, facitque ex necessitate virtutem; immò si morbum opravit, & exorauit, non jam ex necessitate, sed sua voluntate patitur. Quemadmodum enim is qui alterum verbo, vel opere læsit, inter mortales, si sponte retractet iniuriam, seque illi ultro submittat, longè facilius satisfacit, quam si per judicis sententiam ad honorem restituendum adigatur: ita longè minore poena voluntaria huius vita contentus est Deus, quam in altera vita, in qua supplicium in diuino Tribunal decretam coactis irrogatur. Qua de caussa etiam animæ in Purgatorio, pro se solis possunt satisfacere, nihil autē satisfactionis alteri vlli communicare; sicut possunt ægroti in hoc mundo, qui sæpe, per morbi patientiam, exsoluant, & quod ipsi debent, & id, quod illis superest, viuis, vel mortuis queunt applicare, ac suo modo Ecclesiæ thesaurum augere. Adeò, quod amanti Deum ipsa charitas tolerabilius faciat, quidquid in terris patitur, quia minus coacta est. Inclinatur enim, ut sit cum Deo sine suo ultimo, videns eum clarè in gloria sua, ubi tamquam

quam lapis in centro suo conquiescit; aut saltem propenderet in id, ut semper crescat, semperque magis ac magis, usque ad summum, quod potest, summum bonum amet: siquidem nullum habet terminum huius dilectionis. Quoniam ergo in Purgatorio altero, nec Deum intuetur, nec perficitur ad eum magis vindendum atque amandum, versaturque ibi anima extra suum centrum, & violenter; sit, ut videns se pati quidem, sed non proficere & crescere in charitate, affligatur. Quia afflictione caret, quando cogitat se, in huius vitae Purgatorio morbos patienter sustinendo, & gratiae mereri, & gloriae incrementum. Hæc talia, si ægrotus cum Alfonso considerat, huius vitae Purgatorium, & mille morbos desiderat, ac Purgatorium futurum in præsens libens volensque commutat. Cui etiam ipsa caritas, & amor patiendi poenam omnem, omnemque dolorem reddit dulciore; sine qua utique etiam leuissimus dolor nimis molestus, atque intolerabilis videtur. Est enim vetus Poëtæ dictum,

Plaet. in  
Cabin.

Neque falsum, neque suave esse potest quicquam,  
ubi amor non admiscetur.

Fel, quod amarum est, id mel faciet, hominem ex tristi  
lepidum & lenem.

### VIII.

Nemo igitur miretur, Alphonsum, inter summos morborum dolores, identidem clamasse: O IESV, plus; plus, o IESV; plus, o Maria; o Maria, impetra mihi, ut plus patiar. Nam quod plus patior, plus mereor: & cum crescente morbo, gratia gloriaque mea crescit; idemque est infirmitatis, & charitatis meæ augmentum. Neque vero amor dumtaxat Dei, sed etiam proximi, illi stimulus fuit, ut plus vellet pati. Ægrotus enim etiam pro alijs, siue viuis, siue defunctis, dolores suos offerebat. Eratq; illi magnum gaudium, & beneficij loco Numinis gratias agebat, ob tale Purgatorium, in quo ipse & pro se, & pro alijs diuinæ justitiæ poenas posset exoluere; quod in alterius vitae Purgatorio non potuisset. Hæc res quam magna sit, tunc magis animo capiemus, si meminerimus, à probatae authoritatis Doctoribus doceri, posse aliquem, qui velit ægrotus vehementem unius dei dolorum satisfactionemque animæ in Purgatorio detentæ communicare & applicare, eius debitum soluere, & posse etiam ita oppor-

opportunè id facere, ut suo illo febrili æstu, illa à Purgatorio igne liberata statim auolet ad suām beatitatem, pro tanto suo benefactore ibi itidem impensisimè precatura. Hunc zelum Alphonso fuisse, credibile facit; quòd zeli eiusdem incredibili ardore à Dō petierit, etiam Auerni ignem, ad tempus pati, ut vel vilissimi Mauri animam ab æterno igne liberaret. Quam eius voluntatem adeò sibi gratam fuisse testatus est Christus, ut, Cor. 11. 22.

ostensa tota multitudine animarum, quæ à condito mundo creatæ fuerant, diceret illis illæc tua patientiæ voluntas, eam à mea bonitate mercedem accipiet, quam sperauisse, si omnes hi Turcae, Ethnici, Hæteticæ, immò tota hæc multitudo à te conuersa esset. Tanti fit apud Deum amor patientiæ, & sitis animarum.

Quin etiam apud homines, futura magis quām p̄senta estimantes, ea est morborum estimatio, & tantum pretium, ut se existimat, rūc à Deo non amari, quando morbis, vel alijs calamitatibus non castigantur. Senex quidam erat, qui frequenter agrotabat. Contigit autem eum uno anno non agrotare: qui affligerbatur grauter, & plorabat, dicens: DERELIQVIT ME D E U S, ET NON VISITAVIT ME. Quām diuersa sunt sanctorum, & profanorum, DEI & Mundi judicia! Homines seculi plorant, cūm agrotant; homines Dei in lachrymas effunduntur, & se à Deo derelictos arbitrantur, quando morbis non visitantur. Nempe sciunt se spectaculum factos esse mundo, & Angelis, & hominibus. 1. Cor. 4. 9.  
Itaque quando siue in morbo, siue in lecto cubant, lectum putant esse arenam ad docum certaminis, in quem à conditore suo inducuntur; frigus, æstum, alterationes, fastidia ciborum, naureas, sitim, dolores & angores, molestias medicamentorum, existimant esse lanistas & aduersarios, aut etiam bestias cum quibus pugnant. Quare oculos in cælum mittunt. Ibi cum S. Stephano aiunt: Ecce video calus apertos, & Filium hominis stantem. Act. 7. 55.  
à dextris Dei, tamquam Agonothetam, & pugnas meas spectantem, victoriasque numerantem, & identidem lætissimis acclamacionum vocibus, ad fortiter faciendum, me exhortantem, animantemque, quia de honore ipsius agitur, & de mea corona. Est enim honor illius, si habeat fortes athletas; est meum lucrum, si multis magnos hostes vincō. Quemadmodum igitur

## IX.

Ruffin. lib. 3.  
n. 158. Pasch.  
cap. 20. n. 2.  
& Rosveid.  
lib. 5. de vitiis  
PP. libell. 7.  
de patient.

Sf 3 genero-

generosus miles campum, aciem, conflictum; ita feruidus D<sup>r</sup> seruus aduersa desiderat, quem Ducis sui præsentia & conspectus excitat, adiuuat exemplum & gratia; & putat se pro ignano haberi, si in prælia non mittatur. Conditoris honor est, seruos habere ita sibi subiectos & obedientes, ut non velint ab illo delicate tractari; sed ei in asperis quoque adhærescant. Gloria est Redemptoris, si serui illius nōrint inter tristia esse læti, &

- 2. Cor. 12. 10.** cum Apostolo dicant: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo; libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi; & eius gloria in me manifestetur. Principum, Regum, Imperatorum honor est, si eorum statua & imagines raultæ in atrij, & porticibus conspiciantur: ad eundem modum Seruatoris decus & ornamentum est, si in Mundo multa illius exemplaria numerentur; exemplaria autem sunt, qui cum Paulogloriantur, quod sigmata Domini IESV in corpore suo portent; quicquid ipsos morbos & cruces, inter fauores, beneficia, & delicias, comprehendunt, ac mortificationem IESV in corpore suo circumferant, ut & vita ipsius IESV manifestetur in eorum corporibus.*

**X.**

Hanc ob causam sanctus ille Eremicola, cum vñ anno non agrotaret, & affligebarit grauiter, & plorans dicebat: *Dereliquit me Deus, & non visitauit me.* Noui etiam senem Religiosum, qui multis grauibus iniurijs affectus, semper debili, vix autem vñquam valde agro corpore cum esset, metuebat, nemini parùm, in terris patareretur, sed pena peccatorum sibi in futurum differretur. Quamobrem cum D. Augustino assidue orabat: *Hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas.* Et sanè meritò optat hic vri, & secari, quicumque tremenda & horrenda illa Inferorum supplicia aspicit, ad quæ omnes huius Mundi infirmitates, morbi, & cruciatus, & quæcumque poenæ, vix vmbra possunt appellari, siue de numero, siue de pondere, siue de mensura astimentur. Nam si numerum siue durationis & annorum, siue tormentorum, velimus comparare, quantuscumque morborum numerus in vnum agratum infiliat, nihil tamen est ad numerum tormentorum, quæ reprobos in Inferno expectant, sicut neque numerus annorum, quibus morbus durat, si cum numero seculo-

rum

rum & tenuorum conferatur. Atque ut de numero morborum prius dicamus, Non sunt illi tam multi, vt eorum ratio non possit iniri, nec omnes in unum hominem confluunt, cum sint multi inter se contrarii. In inferno autem est innumerabilis cruciatuum varietas ac multitudo, quae etsi à Deo sit cognita ac numerata, à nobis tamen numquam satis potest numerari. Si enī Paulus dixit: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, que preparauit DEVS ihs, qui diligunt illum,* quo modo *oculus vidisset, vel auris audiisset, vel in cor hominis ascendisset,* id quod præparauit Davs ihs, qui oderunt illum? Mente circumeamus per omnia nosocomia, xenodochia, leprosodochia, domosque ægrotorum; animo reuoluamus omnia volumina, in quibus morbi & morbidi describuntur; memoriam perambulemus omnes regiones totius vniuersi, expendamusque, quidquid vspiam vnumquam interris dolorum, miseriarum, æruminarum, calamitatum fuit; & deprehendemus, eas omnes apud damnatos, in unum cumulum coaceruatas reperiri; adeò, vt multæ earum simul singulas miserandi corporis partes infestent; immò quemlibet sensim, & quamlibet damnatae animæ facultatem, nullo omissio fini, aut neglecta viscerum latebra, nullo præterito totius corporis angulo, qui non sit sulphure, igne, calamitate refertus. Quid quereris, ægrote? debilis, infirmus, imbecillus, defatigatus es? Infernum cogita, ibi nullæ sunt vires, nisi ad patiendum. Cogeris vigilare, & somno carere? Non sinet in Inferno dormire quemquam vermis conscientiæ; nulla erit quies, sed perpetuus labor & dolor. Dolent dentes? ibi erit stridor dentium. Dolent aures? ibi audies voces lamentantium, conuiciantium, blasphemantium. Dolent oculi? ibi dolebunt ex aspectu abominabilem monstrorum, ex tenebrarum horrore, ex fusione amarissimarum lachrymarum. Dolet caput totum? ibi totum corpus dolebit. Dolent latera & compunguntur? ibi dæmones latera tua cudentibus fuscinis pungent. Dolent intestina? ibi ignis omnes medullas penetrabit, cruciat te podagra, calculus, hernia? ibi manus & pedes vinculis adamantis constringentur, vt Prometheus agas: ibi renes, ibi vesica, ibi libidinis instrumenta tantum tormentorum accipient, quantum hic in delicijs fuerunt.

Iliosus,

Iliosus, colicus, melancholicus es? ibi omnia interna tua ardebunt; ibi tristitia, merus, tedium, anxietas, ibi desperatio, ibi omnes Furiæ te lacerabunt. Sitis te exurit? cogita epulonem, vel vnam guttam aquæ mendicantem, & non impetrantem. Vno verbo, sicut omnia flamina, aquæ dulcis, intrans in mare, amarissimum, quod omnia absorbet, & tamen non redundat, ob suam impenitatem; ita morbi omnes, omnes huius vitæ calamitates & dolores in Infernum confluent; & sunt instar parvorum riuelorum aquæ dulcis, si cum supplicijs Acheronticis, quorum amaritudo & multitudo immensa est, comparantur. Pone igitur juxta se, o æger, imò o sane, Oceanum miseriarum Tartarearum, & riuelos tuorum, quos pateris, vel pati potes, morborum, & elige, utrum malis, his, an illis cruciari? Et facile videbis, cur Sancti potius elegerint, aut opterint huius vitæ morbos, quam futuræ calamitates, eorumque exemplo & sapientia sapientior effectus, tu quoque, si in morbos incideris, patiens fies; aut si non incideris, disces timere, ne aliquid grauius, & magis formidandum te maneat, post bonos dies tuamque sanitatem.

## XI.

S. Aug. serm.  
109. de tem-  
pore.

Nunc etiam numerum durationis, hoc est, dierum, mensum & annorum, quibus huius, & alterius, in inferno, mortis potius, quam vitæ, solent poenæ durare, inspiciamus; inuenimus profectò, nimis verè à S. Augustino dictum esse: Quæ quisque patitur in hac vita, in comparatione aeterni ignis, non parva, sed nulla sunt. In hac vita, pauci morbi, si graues sunt, diuturni sunt. Citò enim expediunt hominem morbi acuti & vehementes. Aliquando intra octiduum, quadriduum, triduum, biduum; aliquando die uno, aliquando intra paucas horas. Quòd si aliquæ clementiores febres mensem unum vel alterum, imò annum, unum vel alterum; si podagræ, aut similia mala hominem decennio toto, sicut Troiam Græci, aut etiam pluribus annis, obsident, oppugnant, tandem tamen deserunt, cum interimunt. Supplicia autem, quæ sunt in Acheronte, & saeuunt maximè, & minimè occidunt; sunt enim semper duratura. O quæ consolatio effet damnatis, si audirent, quantumuis vehementissimas poenas Tartarei incendij, post decennium, finem habituras! Sunt itaque non modò supplicia illorum innumera, sed etiam ipsi an-

ni,

ni, quibus damnatos cruciabunt. Est enim numerus annorum, immò s̄eculorum illorum, sine numero; cùm enim sit sine termino, nequit numerari; adeò ut neque Deus ipse, in eo numero numerando annum, aut s̄eculum ultimum possit inuenire. Quippe post millies millia millionum annorum enumerata, non erit finis, sed iterum totidem sunt enumeranda; & si denuò centies millies millia millionum enumerantur, non solùm ad ultimum annum vel s̄eculum non peruenitur; sed restat adhuc tantum. Quid dico, tantum? Tam longa adhuc s̄eculorum series restat, ac si nihil de ea transiisset; neque vñquam tam longa series transire poterit, quin nihil sit, si cum ea, quæ supererit, æternitate comparetur. Fuit Cain arsique jam per quinque millia annorum, in inferno, quantum decessit illi de æternitate? Nihil prouersus, perinde ac si hodie eò esset detrusus, ita illi restat æternitas. Et, si hinc post centum millions annorum, annos computemus, idem erit. Quasi enim nihil poenarum antecessisset, sed eo primùm die, fiammis addiceretur, ita adhuc restabit æternitas suppliciorum.

Horum igitur suppliciorum numerum, mensuram & pondus, si in vnam lancem coniçiamus, morbos autem quoscumque in alteram, an non dicemus, sapienter fecisse illos Sanctos, qui non tantum censuerunt, m̄rbos esse beneficium & donum Dei, sed etiam ipsi ultro huius vitæ dolores, & morbos, & miseras elegerunt, ne pondus æternitatis sustinere cogerentur?

Apud Ioannem Moschum legimus, in cœnobio Gerasimi ad Iordanem, senem fuisse, Olympium nomine, admirande patientiæ eremitam; qui in tam angusta obscuraque & misera cella habebat, vt cauea potius quam cella posset appellari. Ibi, præter tenebras, & ergastuli squalorem, incredibilis etiam æstus à solis flagrantia, & cyniphes muscæque inuolantes eum exagabant. Ibi ergo Olympium aliis quispiam Dei seruus, vt moris erat, inuisit, interque fermocinandum interrogavit: Quo modo in huius carceris angustijs, & tanto solis ardore, atque tot cyniphum muscarumque aculeos sustinens posset perdurare? Cui patientiæ suæ causam aperiens respondit Olympius: Fili, hac lenia sunt, sic cum aeternis conferantur: carcerem hanc patior, ne in-

## XII.

Ioan. Mosch.  
cap. 141.

T t ater-

330 Cap. XXXI. Patientia morbos desiderantium.  
eternum illum carcerem includar; tenebras fero, ne mittar in illas te-  
nebras exterioras; cynipes & muscas has sustineo, ne vermem sentiam  
non moritur; astum tolero, ut effugiam ignem sempiternum.

XIII. Sic Sancti senserunt, qui morbos molestiasque huius vite  
ultra appetiuerunt, cum quibus si saperemus morbos doloresque  
saltem à Deo immisso, longè & quiore animo acceptaremus, &  
lachrymantes vel præ tristitia peccata nostra deploraremus, quæ  
nos æternis illis tormentis objecerunt; vel præ gaudio, quod  
Devs, nos ab innumeris æternisque tormentis liberaturus, occa-  
sionem morbi nobis dederit, qua paucis & brevibus molestijs  
patienter perferendis, immortales illas infinitasque pœnas polli-  
mus compensare. Pausanias legitur, reos, perpetuo carcere,  
tremebus, gladio, laqueo, rogo, & crudelissimo suppicio di-  
gnos, non aliter puniuisse, quam ut eos anchoræ ferreæ alliga-  
tos, per aliquot horas, populo spectandos exponeret. Pro qua  
clementia utique par erat, ut rei gratias magnas referrent, cre-  
debantque, se in mitissimum judicem incidisse, eamque pœnam  
suam felicitatem vocitabant. Quam felices se existimare, &  
quas laudes gratiarumque actiones persoluere Deo illi debent,  
qui nōrunt, se ob sua tam enormia & multa flagitia justissime  
æternis addici incendijs potuisse; & tamen eorum vice, eundem  
contentum esse, ut breuem morbum, leuem & tolerabilem do-  
lorem, afflictionemque momentaneam exhaustant. Et denique,  
quantuscumque sit in morbo cruciatus, tamen non est æternus,  
sicut est ille damnatorum. Possunt ergo jure dicere omnes agro-  
ti: *Hec lenia sunt, si cum æternis conferantur.* Illi autem, qui  
bus omnia fluunt ex voto, qui nihil morbi, nihil aduersi sen-  
tiunt, sed in delicijs natant, & fortunam semper fauentem  
& arridentem habent, meritò cum sene illo dicent, *Dereliquit*  
*nos DEVS, & non visitauit nos:* aut cum S. Augustino; *Hic ure,*  
*hic seca, ut in æternum parcas.* Quæ cantio etiam Lydwine  
fuit familiaris, cuius omittere, hoc loco, men-  
tionem, nefas esset.



CAPVT